

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Monasterivm

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

Habetur apud Roderiq. in appendice Bullarij memorabile Priuilegium pro Carmelitis Discalceatis in Perfarum & quorumcunque infidelium Schismaticorum & hæreticorum partes mittendis, factum à Clement. 8. & extensum ad loca etiam alia, Gallia, Flandria, Germania, Polonia, & partes alias vbi hæreses grassantur, non obstante, quòd ibi morantur Catholici. Cuius testimonium singulare refert P. Augustinus à Virgine Maria. In tractatu de Priuilegijs omnium Religiosorum &c. V. Missionarij. n. 17. meritò videndus.

## MONASTERIVM.

308. *Decreta Pontificia de Constructione Monasteriorum.*

309. *Conditiones in ijs requisita. 310. An comprehendant etiam Hospitia? 311. Vel mutationes Conuentuum?*

308. **S**ANCTA Mater Ecclesia Sponsi sui CCCVIII.  
 Cælestis, à quo non nisi ordinata *Decreta Pontificia pro Constructione Monasteriorum.*  
 procedunt Rom. 12. sapiens æmulatrix, sicut in omni statu maximè diligit ordinem, ita in SS. Religionum Ordinibus ab antiquo iam tempore summoperè cauit, ne quid inordinati fieret, præsertim verò in Monasteriorum, quæ sunt Diuino cultui dicatarum  
 Ff homi-

hominum domicilia, erectionibus. Quare cum quidam olim Monachorum habitu utentes, indifferenter per ciuitates incederent, nec non & Monasteria & seipfos praesumptione propria commendant, Concil. Chalced. quod A. 451. celebratum est, ut nihil praeter ordinem ac indecenter fieret, tale Statutum fecit, *relatum in iure c. 18. q. 2. c. Quidam.* Placuit, inquiens, neminem aut adificare aut construere Monasteria aut Oratorii domum sine conscientia ipsius Ciuitatis Episcopi. Similiter & Agath. celebratum An. 506. De Monachis, inquit, Monasterium novum, nisi Episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere aut fundare praesumat. Item; Cellulas novas aut congregatiunculas Monachorum absque Episcopi noticia prohibemus institui. Habentur haec Decreta citata c. & q. c. De Monachis. Et c. Cellulas. Quibus & Aurelian. Primum subscriptis *ibid. c. Nullus Monachus.* Cum porro importuna petentium inhiatio, non solum Monasteriorum, sed & Religionum postmodum multiplicationem extorqueret, Conc. Generale Lugdun. c. 1. de Relig. domibus. in 6. auctoritatem in erigendis Monasterijs & Ecclesijs Regularium soli reseruauit, S. Pontifici ita quod Religiosi Mendicantes nullam de nouo domum vel locum acquirere, nec domos seu loca, quae habent,

habent, alienate valerent sine Sedis eiusdẽ  
 licentia speciali: Exceptis tamen Prædica-  
 torum & Minorum Ordinibus. Sed Boni-  
 facius 8. postea, *ut refertur c. Vni. de Excess.  
 Pral. in 6.* Vniuersim quibuscunque interdi-  
 xit, in aliqua ciuitate, castro, villa seu loco quo-  
 cunque ad habitandum domos vel loca quacunq;  
 de nouo recipere, seu recepta mutare, vel ea ven-  
 ditionis, permutationis, donationis, aut cuius-  
 uis alienationis titulo quocunque in alios trans-  
 ferre presumerent absque Sedis Apostolica licen-  
 tia speciali, &c.

Cum exinde multæ Religiones obtinu-  
 isseent Priuilegia, quæ uideri est in *Comp. Priu-  
 Mendic. V. Edificare*, ubi noster P. Sorbo  
 meminit etiam alicuius à Greg. 13. concessi,  
 vigore cuius nos Capucini, non solum loca  
 noua, sed etiam nouas Prouincias absque  
 alia Summi Pontificis licentia possumus re-  
 cipere. Omnia eiusmodi Priuilegia & con-  
 cessiones erigendi nouos Conuentus & Mo-  
 nasteria reuocauit S. Congreg. Em: DD:  
 Cardinal: negotijs Episc. & Regul. præpo-  
 sitorũ, Greg. 15. approbante *sub die 17. Aug.  
 1621.* Et nouissimè Urbanus 8. in sua *Consti-  
 que incipit: Romanus Pontifex. die 28. Aug.  
 1624.* reuocauit & annullauit omnes licen-  
 tias à Prædecessoribus suis concessas fun-  
 dandi, erigendi & instituendi vbique loco-

rum, Monasteria, domos, Conuentus, Collegia, & alia loca Regularia, seruata SS. Canonum & Conc. Trid. formâ, de sola Ordinarij licentia, seu etiam non seruata formâ & absque licentia huiusmodi. Proinde modus hodie obseruandus ab Episcopis in concedenda licentia pro Monasterijs nouis ædificandis, desumendus omninò est ex dictis Constit. Clem. 8. Greg. 15. & Urban. 8. quarum tenores per extensum refert P. Bassæ. 20. 2. V. Ecclesia. n. 15. Diffusè autem declarat & illustrat Lezan. 20. 99. Reg. 1. c. 9. num. 34. 35. & 36. & 10. 4. V. Monasteria Regul. summarie illas recapitulando.

CCCIX.  
*Conditio-  
 nes in ijs  
 requisiti.*

309. Conditions allegatis Decretis in Monasteriorum erectionibus obseruandæ sunt 1. Quòd noua loca non recipiantur sine Episcopi, in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta, prout præcipit Trid. sess. 25. de Regul. c. 3. 2. Ipsi Episcopi, iuxta Decretum Clem. 8. in Constit. Quoniã ad instituta. licentiam ad novos Conuentus cuiusque Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus & locis eorum ordinaria jurisdictioni subiectis erigendos, impertiri non possunt, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus & locis existentium Conuentuum Prioribus seu Procuratoribus & alijs interesse habentibus; & causâ, seruatis

seruatis seruandis, cognita, constiterit, in eisdem civitatibus & locis novis huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. 3. Debet obseruari Decretum Greg. 15. quo cauetur, ne aliqua Monasteria de novo erigantur, nisi in eis saltem duodecim fratres aut Monachi seu Religiosi inhabitare ac ex Redditibus & consuetis eleemosynis sustentari valeant; ac Priores seu Procuratores aliorum Conuentuum, &c. non solum in predictis, sed etiam in alijs per 4000. passuum circumvicinis, ad id vocati & auditi fuerint ac tali erectioni consenserint: vel aliàs Ordinarijs locorum constiterit Religiosos Monasterij erigendi absque detrimento Religiosorum antea in locis eiusmodi degentium, numero duodecim commodè & congruè manuteneri & ali posse. Quod si nulli alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominùs diligenter inquirent, an locorum incole & habitatores ( quorum & consensum requirant ac adhibeant ) huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus instituendis commodè alere & manuteneri, valeant.

310. Petes; An Decreta præmissa comprehendant etiam Hospitia? R. negatiuè, quando habent Redditus sufficientes pro sustentatione duodecim Religiosorum sine quaestuatione & absque damno alijs Monasterijs antiquioribus. Nam cessaret finis

CCCX.  
An comprehendant Hospitia.

Ff 3 dicta.

dictarum Constitutionum, Comprehen-  
duntur autem ea, in quibus talis Religio-  
forum numerus indigeret ad victum quoti-  
dianum mendicare & eleemosynas in locis  
& oppidis vicinis prædicti hospitij quære-  
re. Constat tum ex verbis expressis Bulla-  
rum prohibentium, *Monasteria, domus, Con-  
uentus, & alia loca Regularia, quocunque no-  
mine nuncupentur. Tum ex intentione SS.  
Pontificum, præsertim Greg. 15. Ne, si mi-  
nor sit Religiosorum numerus quàm duo-  
decim, cultus Divinus in eorum Ecclesiis de-  
stituatur, ibique Regularis Disciplina, vt conven-  
nit, conservari non valeat; atque hi, absque  
detrimento Religiosorum in Monasteriis seu do-  
mibus antea in civitatibus seu locis huiusmodi  
erectis degentium, ibi in numero duodecim com-  
modè & congruè manuteneri & alii possint. Vi-  
deantur Lezan. & Bassæ. vbi supra. Inprimis  
autem Peyr. n. 48. & 49. in Constit. Pyrrhi,  
Et in Constit. 6. Greg. 15. Ex quo postremo  
loco.*

CCCXI.  
Vel muta-  
tionis Co-  
ventuum.

311. Nota; Quod non dicitur acquiri  
novus Conventus, quando in eadem Ciui-  
tate vel oppido fit mutatio de vno ad alium  
locum: quia tunc nullum fit præiudicium  
alijs Religiosis ( nisi fortè per accidens ra-  
tione propinquitatis ) locum enim mutan-  
tes iam habent ius Eleemosynas quærendi  
in

in dicta Ciuitate vel oppido. Vide super his plura penes Lezan. *to 4. V. Monasteria n. 32. 33. & 34.* Vbi singulariter de Monasteriorum extensione seu augmentatione. *Et n. 43. de dimissione & derelictione Monasteriorum.* De quo etiam non nihil dictum *V. Dispensare n. 4.* amplius verò dicitur *V. Prouincialis.* Constructio Monasteriorum in oppidis & Pagis nobilioribus quàm sit nociua Regulari statui, Paupertati potissimum primo Perfectionis Religiosæ fundaméto. Lezan. *to. 1. c. 6. n.* sapientissimè demonstrat Peyr. *to. 1. de subd. Reg. q. 2 c. 2. §. 2.* necnon & Seraph. D. S. Banauent. *in Apol. in eos qui Ordini FF. Minorum aduersantur. q. 19.*

NOTORIVM. *Vide V. OCCVLTVM.*  
**NOVITIVS.**

- 312. *Receptio Nouitiorum ordinaria quibus competat?*
- 313. *Num delegari possit?*
- 314. *Recipiendorum examen. 315. Condiciones ex Regula. 316. De iure Communi. 317. Ex Constitutionibus.*
- 318. *Annus probationis debet esse integer & continuus.*
- 319. *Ad que teneantur Nouitij?*

Ff 4

320, No-